Oliverius Sabinen(sis), Georgius Albanen(sis) et Jeronimus Prenestin(us) Episcopi, Ludovicus tt. sanctorum Iohannis et Pauli, Oliverius tt. sanctorum Quatuor Coronatorum, Dominicus tt. sancti Clementis, Laurentius tt. sancti Marci, Bernardinus tt. sancte Crucis in Jerusalem, Johannes Antonius tt. sanctorum Nerei et Achillei, Johannes sancte Marie trans Tiberim, Guillermus tt. sancte Pudentiane et Johannes tt. sancte Prisce presbiteri, Raphael sancti Georgii ad velum aureum, Federicus sancti Theodori, Julianus sanctorum Sergii et Bacchi et Alexander sanctorum Cosme et Damiani diaconi miseratione divina sacrosancte Romane ecclesie Cardinales Universis et singulis christifidelibus presentes litteras inspecturis Salutem in domino sempiternam. Quanto frequentius fidelium mentes ad opera caritatis inducimus tanto salubrius animarum suarum saluti providemus. Cupientes igitur ut parrochialis ecclesia sancti Laurentii sita in villa Schaen vnd Vadutz Curien(sis) dioc(esis) ad quam sicut accepimus dilecti nobis in christo Albertus Wolff, Cristophorus Fritz, Gabriel Frick, Georgius Wolff, Nicolaus Schmidt et Ludovicus von Duz laici dicte dioc(esis) singularem gerunt devotionis affectum congruis frequentetur honoribus et a christifidelibus iugiter veneretur ac in suis structuris et edificiis debite reparetur conservetur et manuteneatur necnon libris calicibus luminaribus ornamentis ecclesiasticis et rebus aliis pro divino cultu inibi necessariis decenter muniatur. Utque christifideles ipsi eo libentius devotionis causa confluant ad eandem et ad reparationem conservationem manutentionem et munitionem huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos. Nos Cardinales prefati videlicet quilibet nostrum per se de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi Omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus vere penitentibus et confessis qui dictam ecclesiam in singulis videlicet sancti Laurentii et Nativitatis domini ac Veneris sancte necnon Assumptionis beate Marie virginis ipsiusque ecclesie Dedicationis festivitatibus et diebus a primis vesperis usque ad secundas vesperas inclusive devote visitaverint annuatim et ad premissa manus porrexerint adiutrices pro singulis festivitatibus sive diebus predictis quibus id fecerint Centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer in domino relaxamus presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum fidem litteras nostras huiusmodi fieri nostrorumque sigillorum fecimus appensione muniri. Datum Rome in domibus nostris Anno a Nativitate domini Millesimoquingentesimo die vero secunda mensis Novembris Pontificatus sanctissimi in christo patris et domini nostri domini Alexandri divina providentia pape Sexti Anno Nono.

A. Alebames